



Prot. N. 987/22/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Francisco Oliva, Episcopo Locrensi-Hieracensi, occasione sollemnum in honorem Beatae Mariae Virginis Matris Divini Pastoris seu "de Monte" celebrationum, quae in tota Dioecesi a die II Septembris MMXXII usque ad diem II Septembris MMXXIII peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Beatae Mariae Virginis Matris Divini Pastoris Sanctuarium de Pulsi apud Fanum Sancti Lucae, praefatae Dioeceseos, vel quodlibet marianum templum ab Exc.mo Episcopo iam determinatum, in forma peregrinationis inviserint et ibi sacris ritibus devote interfuerint, praesertim sollemni Beatae Mariae Virginis peregrinationi quae magno cum concursu populi peragetur, vel saltem coram imagine Beatae Mariae Virginis Matris Divini Pastoris, publicae venerationi exposita, per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis.*

*Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si Beatae Mariae Virginis celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiae Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXXI mensis Augusti, anno Dominicae Incarnationis MMXXII.*

*Maurus Card. Diomede  
Paenitentiarum Major*

*Christophorus Nydul  
Peperus*